

Prohibet pro-
ptia Rubr.

tes, & absolutas fore censentes, supplica-
tionibus illorum nomine Nobis super hoc
humiliter porrectis inclinati;

§.2. Ne de cætero quicquam quavis au-
thoritate fungentes libros, quinterna,
folia, sive impressa, sive manuscripta Bi-
bliothecis, aut paramenta, ornamenta,
quæcumque Ecclesiis hujusmodi per quos-
cumque christifideles hæstenu quomodo-
libet donata, & assignata, seu imposterum
forfan donanda, & assignanda ex Bibliothecis,
& Ecclesiis hujusmodi respective ex-
trahere, seu quibusvis aliis Ecclesiis, Mo-
nasteriis, Locis Piis, aut personis com-
modare, sive ut extrahantur, seu com-
modentur permittere, quovis pretextu,
aut quæsito colore, causa, ingenio, ratio-
ne, vel occasione audeant, seu præsumant,
sub excommunicationis, ac priva-
tionis vocis activæ, & passivæ poenis per
contrafactentes incurrendis, apostolica au-
thoritate, tenore præsentium interdicimus,
& prohibemus.

Contrariis
derogat.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus,
& Ordinationibus Apostolicis, ac Domo-
rum, & Ordinis prædictorum, etiam jura-
mento, confirmatione apostolica, vel
quavis firmitate alia roboratis statutis, &
consuetudinibus, cæterisque contrariis
quibuscumque.

§.3. Volumus autem, quod præsentis
prohibitionis copia in valvis singularum
Bibliothecarum, & Ecclesiarum hujus-
modi respective, aut aliquibus aliis perspicuis
locis, unde ab omnibus cerni possit, con-
tinuo affixa remaneat.

Transumptis
credi jubet.

§.4. Quodque præsentium transumptis
etiam impressis, manu alicujus Notarii
publici subscriptis, & sigillo alicujus per-
sonæ in dignitate ecclesiastica constitutæ
munitis eadem prorsus ubique fides adhi-
beatur, quæ adhiberetur præsentibus, si
forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 13.
Octobr. 1637.
An.XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam
Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13.
Octobris 1637. Pontificatus nostri Anno
Decimoquinto.

DXLIX.

Quod Minister Fratrum de Observantia
Provinciæ Granatenfis teneatur recipere
Religiosos missos ex Recollectis ejus-
dem Provinciæ, qui a perfecta suæ Re-
gulæ observantia declinarunt.

De transitu Fratrum a Reformatione ad Ob-
servantes dat modum Paul.V. in sua Con-
stituti. LXII. Postulat. Tom. V. Par. III.
fol.246.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. Cum, sicut dilecti filii Fratres Or-
dinis Minorum Sancti Francisci
Recollectorum nuncupatorum Provinciæ

Granatenfis Nobis nuper exponi fecerunt,
temporis progressu comperitum sit, quod
quando Religiosus aliquis Ordinis, & Pro-
vinciæ hujusmodi a perfecta suæ Regulæ
observantia declinavit, exinde aliis Fra-
tribus perturbationes non sine maximo eor-
undem præjudicio perveniant, cupiant-
que propterea pro majori divini cultus in-
cremento inconvenientibus hujusmodi op-
portunum aliquod remedium adhiberi;

§.2. Nos dictorum Exponentium votis
in præmissis, quantum cum Domino pos-
sumus, annuere, ipsosque specialibus favo-
ribus, & gratiis prosequi volentes, & a
quibusvis excommunicationis, suspensio-
nis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis
sententiis, censuris, & poenis a jure, vel
ab homine quavis occasione, vel causa la-
tis, si quibus quomodolibet innodati exi-
sunt, ad effectum præsentium dumtaxat
consequendum, harum serie absolventes,
& absolutos fore censentes, supplicatio-
nibus illorum nomine Nobis super hoc hu-
militer porrectis inclinati;

Mandat obser-
vari prout in
Rubric.

§.3. Volumus, & apostolica auctorita-
te tenore præsentium statuimus, & ordi-
namus, ut tunc, & eo casu possint Defui-
tor, & quatuor Guardiani dictorum Fra-
trum Recollectorum sese congregare, si-
que apud Ministrum Provinciam Fra-
trum Minorum eorundem infiterint pro
amotione alicujus ex Recollectis Religiosi,
& transmissione ad Fratres de Observan-
tia nuncupatos, dictus Minister Provin-
cialis teneatur, eundem Fratrem ex Re-
collectis removere, illumque inter dictos
Fratres de Observantia recipi facere libere,
& absolute, & absque ulla prorsus mo-
ra, & tergiversatione.

Decretum
irritans.

§.4. Decernentes præsentis literas va-
lidas, firmas, & efficaces existere, & fore,
suosque plenarios, & integros effectus
fortiri, & obtinere, & ab omnibus, & sin-
gulis, ad quos spectat, & pro tempore spe-
ctabit in futurum inviolabiliter, & incon-
cussè observari debere, ac irritum, & ina-
nie, si secus super his a quoquam quavis
auctoritate scienter, vel ignoranter con-
tigerit attentari.

Contrariis
derogat.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus,
& ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis,
& Provinciæ prædictorum etiam jura-
mento, confirmatione apostolica, vel alia
quavis firmitate roboratis statutis, & con-
suetudinibus, privilegiis quoque, indul-
tis, & Literis Apostolicis in contrarium
præmissorum quomodolibet concessis, con-
firmatis, & innovatis. Quibus omnibus,
& singulis, illorum omnium tenores præ-
sentibus pro plene, & sufficienter expres-
sis habentes, illis alias in suo robore per-
mansuris, hac vice dumtaxat specialiter,
& expresse derogamus, cæterisque contra-
riis quibuscumque.

Transumptis
credi mandat.

§.6. Volumus autem, quod præsen-
tium transumptis, etiam impressis, manu
alicujus Notarii publici subscriptis, & si-
gillo personæ in dignitate ecclesiastica
constitutæ munitis eadem prorsus fides
adhi-

adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhibe-
retur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 16.
Octobr. 1637.
An.XV.

Datum Romæ apud S. Mariam Mayo-
rem, sub annulo Piscatoris, die 16. Octo-
bris 1637. Pontificatus nostri anno deci-
moquinto.

DL.

Ex Reges. in
Sicris. Brevis.

Congregationi Oratorii Neapolitani com-
municantur omnia Privilegia Congre-
gationi Romanæ concessa.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Progenium.

§.1. **G**regis Dominici animarum salu-
ti, divinique cultus incremento
juxta creditum Nobis desuper apostolica
servitutis officium jugiter invigilantes, pri-
vilegia, & indulta, quæ propterea piis Chri-
stifidelium Congregationibus in militanti
Ecclesia ad divini nominis laudem, & glo-
riam, sanctaq; fidei catholice exaltationem
salubriter instituta a Sede Apost. concessa
sunt, non solum confirmamus, verum,
etiam pastoralis officii nostri partes liben-
ter intendimus, ut Congregationes ipsæ
novis ab eadem Sede gratis, atque indul-
tis decorentur, prout rerum, & tempo-
rum qualitatibus debite pensatis, conspici-
mus in Domino salubriter expedire.

Refer. Literas
Sixti V.
quibus non-
nulla Privile-
gia Congreg.
Oratorii Ro-
mæ concessa
sunt.

§.2. Alias siquidem a fel. rec. Sixto Pa-
pa V. Prædecessore nostro emanarunt li-
teræ ad favorem Congregationis Presby-
terorum Oratorii per Sanctum Philippum
Nerium institutæ, & ab eadem Sede con-
firmatæ tenoris sequentis videlicet: Sixtus
Episcopus Servus Servorum Dei. Ad per-
petuum rei memoriam. Decet Romanum
Pontificem, cujus fidei cura, & Salus Do-
minici gregis divinitus est commissæ, Præ-
decessorum suorum vestigiis inhærendo
ea benigne concedere, quæ ad eju-
dem gregis conscientia purificationem,
& peccatorum remissionem, animarum-
que salutem, ac spirituales consolationem
noscentur pertinere. Alias siquidem
fel. rec. Gregorio Papæ XIV. Prædecesso-
ri nostro pro parte dilectorum filiorum
Philippi Nerii Præpositi, & Presbytero-
rum Congregationis Oratorii in Parochia
H Ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella de
Urbe per ipsum Prædecessorem antea in-
stituti exposito, quod de mense Augusti
anni Domini 1563. piæ mem. Pius Pa-
pa IV. etiam Prædecessor noster Philippo,
& Presbyteris prædictis tunc Ecclesia
Sancti Joannis Baptistæ Nationis Florenti-
norum etiam de Urbe in divinis servientibus
nonnullas gratias, & privilegia ad de-
cennium duratura apostolica auctoritate
concesserat, & decennium hujusmodi jam
tunc expiraverat, dictus Gregorius Præ-
decessor volens eisdem Philippum, & præ-
byteros non minoribus, quam dictus
Pius Prædecessor prosequutus fuerat gra-
Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

tis, & privilegiis prosequi, & ut ipsi fa-
cilius, & libentius altissimo famulari, &
animabus Christifidelium in audiendis eo-
rum confessionibus, amplius prodesse pos-
sent, providere, Philippo, & Presbyte-
ris Congregationis hujusmodi, ut quo-
rumcumque Christifidelium ad ipsos unde-
cumque accedentium, illosque infirmi-
tatis, vel quocumque alio tempore, &
occasione Domum, sive ad quemcumque
alium locum ad se vocantium, & requi-
rentium confessiones libere audire, & il-
lis diligenter auditis ipsos Christifideles,
& eorum singulos ab excommunicationis,
suspensionis, & interdicti, ac quibusvis
aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris
quavis occasione, vel causa quomodolibet
latis, & per eos incurris, ac etiam ab om-
nibus, & singulis eorum peccatis, crimi-
nibus, & excessibus, & delictis quantum-
cumque gravibus, & enormibus etiam Se-
di Apostolicæ reservatis, exceptis conten-
tis in literis in Coena Domini legi consuetis
abolvere, & pro commissis poenitentiam
salutarem eis injungere, ac vota quæcum-
que, ultramarino, visitationis liminum
Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de
Urbe, Sancti Jacobi in Compostella, &
B. Mariæ Lauretanæ, ac castitatis, & reli-
gionis votis dumtaxat exceptis in alia poe-
nitentiæ, vel pietatis opera commutare,
nec non per dimidium horæ spatium ante
auroram, & post meridiem eis eveniente
casu missas celebrare libere, & licite va-
leant dicta auctoritate indulgisse, & faculta-
tem concessit, prout in ipsius Gregorii Præ-
decessoris literis desuper in forma Brevis
sub die 14. Martii Pontificatus sui anno
quarto expeditis plenius continetur. Cum
autem, sicut exhibitæ Nobis nuper pro parte
Philippi, & Presbyterorum prædictorum
petitio continebat, a pluribus credatur, li-
teras facultatis hujusmodi, licet illa ad
certum aliquod tempus specificæ, & ex-
presse non fuerint limitatæ, nihilominus
decennio jam de mense Martii proxime
præteriti elapso, tamen durasse, & pro-
pterea ipsi, ut omne dubium tollatur, ac
in Dei, & animarum servitio in dies magis,
& magis proficere valeant, libentius-
que in hanc curam incumbant, dictas fa-
cultates ipsis in perpetuum concedi, ac in
quibusdam extendi, & ampliari deside-
rent, pro parte eorundem Philippi, &
Presbyterorum, qui, ut asserunt, in pri-
modicta Ecclesia ad confessiones audien-
das de nostri in dicta Urbe, & illius distri-
ctu Vicarii in spiritualibus generalis licen-
tia deputati existunt, Nobis fuit humiliter
supplicatum, ut eis in præmissis opportune
providere de benignitate apostolica digna-
remur. Nos igitur, qui honestis peten-
tium votis libenter annuimus, eaque favo-
ribus prosequimur opportunis; Philippum,
& Presbyteros prædictos eorumque singu-
los a quibusvis excommunicationis, su-
spensionis, & interdicti, aliisque ecclesi-
asticis sententiis, censuris, & poenis a jure,
vel ab homine quavis occasione, vel causa
latis,

latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon literarum predictarum tenores presentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, Philippo, ac nunc, & pro tempore existentibus Congregationis hujusmodi ubicumque locorum diffusa Presbyteris in Urbe a d. Vicario, seu extra eam ab Ordinariis locorum ad confessiones audiendas quomodolibet approbatis, eorumque singulis, quod ipsi perpetuis futuris temporibus omnium, & singulorum Christianorum confessiones audire, illisque auditis eos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis quavis occasione, vel causa quomodolibet latis, & per eos incurris, necnon ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, & excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam a casibus dictae Sedi reservatis, vel imposterum reservandis (exceptis tamen contentis in literis die Coenae Domini legi consuetis) absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem eis injungere, necnon vota quaecumque, ultramarino, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Urbe, & Sancti Jacobi in Compostella, castitatisque, & Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia poenitentia, vel pietatis opera commutare. Praeterea per dimidium horae spatium ante auroram, & post meridiem Missas celebrare, ac etiam, qui ex eis praevio examine ad confessiones audiendas in ipsa Urbe a dicto Vicario approbati fuerint, & extra eandem Urbem absque alio examine de licentia tamen Ordinariorum locorum, indulto, & facultatibus hujusmodi uti, ac potiri libere, & licite valeant, apostolica auctoritate tenore presentium concedimus, & indulgemus. Decernentes praesentes literas nullo unquam tempore revocari, suspendi, vel limitari, neque eis derogari posse, nec sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus comprehendere, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum suum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas esse, & ceteris, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Philippus, & Presbyteri praedicti hujusmodi indulto celebrandi ante diem parce utantur, quia cum in Altaris ministerio immoletur Dominus Noster Jesus Christus Dei Filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce; Quodque presentium transumptis, etiam impressis Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis Ordinarii Romanae Curiae, vel alterius personae in dignitate ecclesia-

stica constituta munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis presentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud S. Marcum. Anno Incarnationis Dominicae 1586. nonis Septembris Pontificatus nostri Anno secundo.

§.2. Nos ad uberes fructus, quos dilecti filii Presbyteri Congregationis Oratorii Sancti Philippi Neri in Civitate Neapolitan. canonicè instituta, verbi Dei praedicationibus, Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione, multorumque aliorum hujusmodi piorum operum exercitiis hactenus attulerunt, & in dies afferunt paternae dirigentes considerationis intuitum, ut in tam sancto, & laudabili Instituto ardentius de cetero perseverent, eos praecipuo paternae charitatis affectu complectendos duximus. Hinc est, quod nos praedictos Presbyteros dicti Neapolitani Oratorii specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus dilectae in Christo Filiae nobilis Mulieris Annae Columnae Barberinae dilecti filii Nobilis Viri Thadaei Barberini Almae Urbis nostrae Praefecti, & Principis Praefecti. nostri secundum carnem ex fratre germano Nepotis conjugis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula in praesertis dicti Sixti Praedecessoris literis contenta, & expressa, ac etiam omnia, & singula alia privilegia, indulta, gratias, favores, concessionis, facultates, libertates, & exemptiones tam spirituales, quam temporales in genere, vel in specie eisdem, vel Congregationi praedictae de Urbe concessa, vel concessas per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, vel per Nos, aut alio canonico titulo acquisita, & acquisitas praesertim circa exemptionem a Processionibus tam publicis, quam privatis; ita tamen ut praedicta Congr. Oratorii Neapolitan. Presbyteri praesentes, & futuri, tam praesentiarum Sixti Praedecessoris, quam presentium Literarum vigore absolvere nullo modo valeant a casibus in Literis die Coenae Domini legi solitis, & in Constitutione nostra super electione Romani Pontificis emanata contentis, neque proficentes, seu exercentes quomodolibet astrologiam judiciariam, & alia prohibita in Constitutio-

Et eadem indulta Congr. Neapolitana conservat.

ne etiam nostra desuper edita, violatores immunitatis ecclesiasticae etiam contra Constitutionem rec. mem. Gregorii Papae Decimiquarti etiam Praedecessoris nostri, violatores clausurae Monialium ad malum finem procurantes, ac pugnantes in duello, ac incidentes in poenas canonis, si quis suadente diabolo, apostolica auctoritate, tenore presentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuae, & inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac quatenus opus sit, de novo concedimus. Ita tamen, ut vigore presentium Literarum in Dominibus particularium personarum confessiones audire non possint.

§.3. Decernentes praesentes Literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes vocati, & auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, seu causa, propter quas praesentes emanarint adductae, verificate, seu alias justificate non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controverfiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, a peritionem oris, aut quodcumque aliud juris, vel facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu eo impetrato quempiam uti, seu se iurare in iudicio, vel extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac praedictis Presbyteris Oratorii Neapolitan. plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac decretis tam per similes mem. Clementem Octavum, quam Paulum V. Romanos Pontifices Praedecessores nostros, & Nos contra regulares, & forsan alios editis, aliisque quibusvis dictae Congregationis Oratorii, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non

Derogatur obstantibus.

autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die ultima Octobris 1637., Pontificatus nostri Anno Decimoquinto.

Dat. die 31. Octobr. 1637. An. XV.

DLI.

Confirmatio, extensio, & declaratio Constitutionum Apostolicarum, prohibentium Civitates, Castra, & alia tam iurisdictionalia, quam non iurisdictionalia, stabilia tamen bona, in Statu Ecclesiastico consistentia, alienari in Forenses absque Sedis Apostolicae licentia: & revocatio quarumcumque licentiarum, & facultatum adversus praedictas Constitutiones concessarum.

Alienationem bonorum Status Ecclesiastici in non subditos, & forenses prohibuit Sixtus Quintus sua Const. VII. Solicitudo. To. IV. Par. IV. fol. 134. Quam postea approbavit Clemens VIII. in sua Const. CCL. Romanum. Tom. V. Par. II. fol. 371. Et ampliat Paul. V. Const. CCLXXXI. Pastoralis. Tom. V. Par. IV. fol. 246.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motu Proprio &c.

Lim felix recordationis Sixtus V. Praedecessor noster, ut tunc suorum, & Sedis Apostolicae subditorum conservacioni prospiceret, Civitates, Castra, Oppida, Jurisdictiones, Feuda, & bona quaecumque stabilia, seu immobilia, in dicto Statu Ecclesiastico consistentia, per quemcumque, cuiusvis status, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis existeret, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quavis auctoritate, ac dignitate, etiam ecclesiastica, quae specialem, & individua mentionem requireret, praeditus esset, vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteusim, feudum, livellum, pignus, seu precarium concedi in sua, & Sedis Apostolicae licentia in aliquam Communitatem, Universitatem, Collegium, vel personam extraneam, seu forensam, etiam ut praemittitur, quomodolibet qualificatam, quae dictae Sedi in temporalibus subdita, & supposita non esset, vel quae in dicto Statu domicilium legitime non contraxisset, praedictas vero Civitates, Castra, Oppida, Fortalitia, & alia quaecumque iurisdictionalia, praesertim Feudalia tam

Refert ad quae praescripta Sixtus V.

in forenses; quam in subditos quoscumque quomodolibet qualificados vendi, permutari, ac donari, nisi precedente præfata licentia apostolica prohibuit sub poena nullitatis contractuum, aliorumque gestorum: In præfata tamen prohibitione neque census, neque officia, neque portiones, seu montium loca, nec mulierum dotes, nec Almam Urbem, uti communem Patriam, cum ejus circuitu ad decem millia passuum voluit comprehendere; filios tamen, & hæredes prædictarum mulierum, soluto matrimonio, si exteri forent, adstrictos esse infra triennium venire ad habitandum in eodem Statu, vel bona prædicta in alium, seu alios habitatores, ac subditos transferre statuit.

Clemens VIII.

§.2. Deinde rec. mem. Clemens Papa Octavus etiam Prædecessor noster, eandem Sixti prohibitionem, ac statutum, necdum confirmavit, sed etiam ad Principes extraneos, Universitates, Communitates, & Collegia, non tamen ecclesiastica, respectu quorumcumque bonorum stabilium tam in consubibus ejusdem Status Ecclesiastici, quam in quacumque alia ipsius Status parte, & in ipsa Urbe consistentium, ac etiam censuum aliorumque bonorum, & jurium, quæ pro stabilibus habentur, non tamen officiorum Romanæ Curia, nec portionum, seu locorum montium comprehendere declaravit, ac etiam ad quacumque genera contractuum, præterquam, ut præfertur, ex causa dotis, & ad quacumque dispositiones inter vivos, & causa mortis, ac ultimas voluntates extendit.

De Paulus V.

§.3. Et successive piæ memoriæ Paulus Quintus etiam Prædecessor noster, prædictas Sixti, & Clementis Constitutiones declaravit, ac extendit, statuens quoque licentiam apostolicam prædictam esse in scriptis obtinendam, & in actu celebrationis instrumentorum exhibendam sub diversis poenis, etiam quoad Notarios ipso jure incurrendis. Ac denique Nos prioribus nostris Literis easdem Constitutiones confirmavimus, ac in eis bona in consubibus Territorii Baronalis existentia, & Castra diruta, ac Tenutas jurisdictionales, censuque super eisdem bonis impositos comprehendere declaravimus. Et successive per alias nostras literas terminum illis, qui præmissis contravenerant, ut contractus, & gesta quæcumque, ut præfertur, prohibita retractarent, præfiximus, & alias, prout latius, & plenius in prædictis Sixti, Clementis, & Pauli Prædecessorum nostrorum, ac nostris Literis continetur.

Causa prædictas Constit. declarandi, & extendendi.

§.4. Cum autem postmodum longiori experientia compertum sit, etiam ex dotibus, seu ex contractibus, ac dispositionibus causa dotium, posse Sedi Apost. suisque subditis non modicum fieri præjudicium, & sepe ex occultis assignationibus etiam per scripturas privatas fieri solitis ipsas dotes, ac bona, & jura dotalia in venditiones ab eisdem Constitutionibus prohibitas, clam transire posse, si Civitates, Castra, Opida, Fortalitia, Arces, aliaque jura, &

bona jurisdictionalia, ac bona stabilia; seu immobilia quæcumque, præsertim in consubibus ejusdem Status Ecclesiastici, etiam pro aliqua parte contigui, existentia, certo pretio æstimanda per quoscumque sive forenses, sive subditos, quomodolibet qualificados, etiam Imperiali, Regali, Ducali, & quavis alia autoritate, ac dignitate, etiam ecclesiastica, & alias individuum mentionem requirente præditos, in puellarum, seu mulierum etiam subditarum dotibus, & acconciis, sive causa, vel prætextu dotium, donationumque propter nuptias, vel pro arrhis, ac alias quomodolibet in dotes, seu pro dotium solutione, vel affectatione constituerentur, & assignarentur, vel alias, etiam absque assignatione, & quolibet alia palliatione darentur, seu traderentur quibuslibet forensibus quomodolibet, ut præmittitur, qualificatis, etiam principibus majoris potentia quibuscumque, eorumque patribus, matribus, avibus, & aviis, tam paternis, quam maternis, ac fratribus, filiisque, nepotibus, etiam ex fratre, vel sorore nunc natis, & quodcumque nascituris;

Urbanus dicitur Constit. confirmat, & extendit, penamque innovat.

§.5. Ideo Nos volentes, prout ex debito nostro pastoralis tenemur, omnibus præjudiciis prædictis, & aliis quibuscumque obviam ire, motu proprio, certa que scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, hac nostra perpetua Constitutione eisdem Sixti, Clementis, & Pauli, ac nostras Literas omniaque, & singula in eis, & earum qualibet expressa, & prohibita, poenasque tam nullitatis contractuum, ac dispositionum, quam alias quascumque ab eis, & singulis earum etiam contra Notarios, & alios quoscumque inflictas approbamus, confirmamus, & innovamus. Necnon illas ampliando, ac declarando, easdem Constitutiones, ac omnia, & singula in eis, & earum qualibet contenta, ad quoscumque contractus causa, vel prætextu dotium quomodolibet imposterum incurrendos, ac ad quascumque dotes quoscumque qualitates, quantitatis, ac valoris, & quantumlibet privilegiatas, & favorabiles, etiam ratione educationis infantium, pupillorum, & personarum quarumcumque, & cujuslibet alterius necessitatis, & alias quomodolibet per quoscumque sive subditos, sive forenses, utriusque sexus, quoscumque status, gradus, conditionis, qualitates, & præminentia, etiam Imperialis, Regalis, Ducalis, nunc, & pro tempore existentes, & quacumque auctoritate, ac dignitate, etiam ecclesiastica, & individuum expressionem requirente, præditos, de quibuscumque bonis, & juribus, sive jurisdictionalibus, sive non jurisdictionalibus, stabilibus tamen, seu immobilibus, aliisve bonis, & juribus, quæ pro stabilibus habentur, ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico, præsertim in consubibus ejusdem Status, pro aliqua ejus parte contigui, sitis, tam conjunctim, quam divisim absque nostra, & Romani Pontificis,

pro tempore existentis, expressa licentia prædicta imposterum, etiam absque aliqua palliatione assignandas, & quomodolibet dandas cuicumque puella, seu mulieri, etiam viduæ, etiam subdita, & quovis modo, ut præmittitur, qualificate, in favorem tamen cujuslibet forensis, quantumlibet, ut præmittitur, qualificati, etiam Principis majoris potentia, vel ejus patris, matris, avi, avia, sive paterni, sive materni, aut fratris, vel filii, aut nepotis, etiam ex ejus fratre, vel sorore nunc nati, & quodcumque nascituris, extendimus, & ampliamus, perinde ac si dotes, & contractus ex causa dotium hujusmodi non fuissent in prædictis Constitutionibus exceptæ, nec excepti.

Et aliter super prædictis.

§.5. Quinimo ultra poenas in prædictis Constitutionibus inflictas addimus poenam privationis, & confiscationis ipsorum bonorum, & jurium quorumcumque eo ipso, absque alia declaratione incurrendam in favorem Camera Apostolicæ, sive Ecclesiæ inferiorum, a quibus contractus, vel disponentes illa recognoverunt, vel recognoscunt.

Declaratio confirmatio, & extensio.

§.6. Quam quidem confirmationem, & extensionem, ita declaramus, ut quoad jurisdictionalia, respectu dotium, & contractuum, ac dispositionum præfatarum, de cetero incurrendorum assignandarum, & faciendarum sine licentia apostolica prædicta, tam Principes majoris potentia, & sui præfati, quam quicumque alii quomodolibet qualificati subiaceant eisdem poenis, etiam privationis, & confiscationis, etiam si ipsi ita contrahentes, ac disponentes Nobis, & Sedi Apostolicæ ratione feudi essent subditi, ac etiam si Castra, vel alia jurisdictionalia quæcumque, aut stabilia, aut palatia, vel domos apertas haberent in eodem Statu, vel etiam in Urbe, in quibus ipsi continerent cum eorum familiis, & laribus vere, & personaliter habitare non consueverint. Quo vero ad non jurisdictionalia, stabilia tamen, seu immobilia, ac census, & alia, que pro stabilibus habentur, non tamen Romanæ Curia officia, nec portiones, seu montium loca, iidem Principes majoris potentia, & sui prædicti eisdem poenis subiaceant. Reliqui vero forenses pariter easdem poenas, etiam privationis, & confiscationis præfatarum stabilium, & aliorum, quæ pro stabilibus habentur, ubilibet in præfato Statu Ecclesiastico, non tamen in Urbe, nec in ejus circuitu prædicto, nec etiam in ejus districtu consistentium, a mari tamen ultra duo milliaria distantium, nec Romanæ Curia officiorum, nec portionum, seu locorum montium incurrant, nisi ultimo dicti forenses infra annum, a die constitutionis dotis, vel a die iusti contractus, vel factæ dispositionis incipiendum, veniant cum eorum familiis, & laribus vere, & personaliter ad habitandum in Statu Ecclesiastico, inde non recessuri, vel infra eundem annum eadem stabilia, & quæ pro stabilibus habentur, realiter, & cum

effectu in alium, vel alios, Sedi Apostolicæ in temporalibus subditos, & in eodem Statu habitantes, transferant; & idem pariter observari volumus quoad dotes, hæcenus promissas, assignatas, datas, seu traditas, ubi non fuerit hæcenus celebratum, & consummatum matrimonium, nisi respectu Principum majoris potentia, & cujuslibet suorum præfatarum, sponsus, per annum immediate præcedentem ante celebratum matrimonium venisset ad habitandum personaliter in Statu Ecclesiastico, se, ejusque familiam, & lares transfereundo, inde non recessurus. Quibus nullitatibus, & poenis locum esse volumus non obitante, quod sponsa, vel uxor, aut quicumque promittentes, dantes, vel relinquentes dotem, eorumque hæredes in eorum possessione continuaverint, ac non obitante quocumque fideicommissio, primogenitura, majoricatu, alienandi prohibitione, & quolibet alio vinculo, investitura, nominatione, vocatione, & quavis alia concessione, ac dispositione, etiam feudali, ac emphyteutica, a Sede Apostolica, & a quocumque alio, etiam in favorem, & pro conservatione quiscumque familia quantumlibet nobilis, & alias quomodolibet privilegiata, factis, ac semel, & pluries per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per Nos approbatis, ac effectum sortitis. Quibus omnibus, & singulis plenissime derogamus quoad ipsos contrahentes, vel disponentes adversus præmissa, & eorum singula, ac eisdem contractibus, & dispositionibus consentientes, eorum tamen vita durante tantum.

Licentia emendi, acquirendi &c. revocatur.

§.7. Insuperque omnia, & singula indulta, & licentia emendi, & acquirendi, ac non veniendi ad habitandum in Statu Ecclesiastico, & bona quæcumque in subditos, non transferendi, & alias quomodolibet contra prædictas Constitutiones, etiam præsentibus per Nos extensas, ac declaratas, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac etiam a Nobis, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestate paribus, & ex quibuscumque causis quantumlibet favorabilibus, & onerosis, quibuscumque personis, etiam Principibus majoris potentia, suisque prædictis, & eorum cuilibet, ac familiis quantumlibet, ut præmittitur, qualificatis, ac alias quomodolibet concessa, & concessas, etiam effectum sortita, & sortitas, non tamen in eo, in quo usque huc realiter exequuta sunt, revocamus, respectu jurisdictionalium quorumcumque prædictorum, & illis annexorum dumtaxat, ac pro revocatis haberi volumus, & esse revocata declaramus, itaut imposterum nemini suffragentur, nisi cum infra scripto onere veniendi ad habitandum in dicto Statu Ecclesiastico, exceptis tamen illis, qui desuper cum Sede Apostolica transactiones, & pactiones hinc inde obligatorias habent, quoad ea tamen, quæ sunt specialiter expressa in ipsis transactionibus, & pactionibus respective,

ctive, quibus præjudicare non intendimus, ac etiam exceptis, quoad prædictum onus habitandi in Statu Ecclesiastico, eisdem Principibus majoris potentie, suisque prædictis, ac aliis Principibus, qui forsitan præterentes esse Principes majoris potentie propter insignes jurisdictiones, quas habuerunt, & habent vel imposterum habebunt, in suis ditionibus, extra prædictum Statum Ecclesiasticum consistentibus, non tamen eidem Statu Ecclesiastico contiguis, seu conterminis, residentiam continuam sibi constituerunt, vel in futurum constituent, ac etiam exceptis illis, qui, seu quorum majores prius in exteris ditionibus, quam in Statu Ecclesiastico habuerunt, & habent, vel habebunt possessionem actualem jurisdictionalium.

§. 8. Uterius volumus, quod, exceptis prædictis, reliqui omnes, & singuli, etiam indulta, & licentias hujusmodi habentes, & jurisdictionalia prædicta Sedis Apostolicæ, seu Ecclesiarum inferiorum, in eodem Statu Ecclesiastico sita, nunc, & pro tempore possidentes, vel alia, ubilibet in eodem Statu Ecclesiastico consistentia, præcedente tamen licentia apost. e mentes, etiam sub hac, aut aliis quovis titulo, etiam dotis acquirentes, eorumque hæredes, & successores teneantur venire ad habitandum vere, & personaliter cum eorum familiis, & laribus in eodem Statu Ecclesiastico infra annum proximum, a die date præsentium, & respectively a die acquisitionis, seu adeptæ possessionis ipsorum jurisdictionalium, decurrendum, inde non recessuri, vel infra eundem annum eadem jurisdictionalia præcedente præfata licentia apostolica in alium, vel alios subditos, & habitatores transferre, aliis in eventum, contraventionis, seu inobedientie, in eadem prenas, etiam privationis, & confiscationis eorumdem jurisdictionalium eo ipso pariter ad favorem Cameræ Apostolicæ, & respectively Ecclesiarum inferiorum præfatarum, incidant. Forenses vero, sive Exteros ad effectum præsentis, aliarumque Constitutionum prædictarum, illos imposterum non esse, nec fore declaramus, qui Nobis, ac dictæ Sedi ratione temporalis jurisdictionis Status nostri Ecclesiastici subditi, & suppositi sint, vel qui domicilium in eo legitime contraxerint, quod domicilium requiratur etiam quoad possidentes in eodem Statu Ecclesiastico aliquam jurisdictionem, vel qui in prædicto Statu Ecclesiastico, etiam Avenionensi, Bononien., & Beneventano, & intra ejus limites non tamen in locis eorumdem Principum majoris potentie, vel suorum prædictorum, nati sint. Qui autem nunc, & pro tempore sint vel fuerint Principes majoris potentie, etiam ipsi a ritualibus, & diariis Sedis Apostolicæ indicentur, declarationem tamen illorum ad effectum præsentis, aliarumque Constitutionum prædictarum Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris reservamus, prout etiam reservamus, declarationem jurisdictionum insignium,

quibus fuerit hætenus constituta, vel imposterum constituetur per Principes habitatio prædicta.

§. 9. Præsentibus quoque Literas, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet præterentes, ad ea minime vocati, & auditi, minusque causæ, propter quas eadem præsentibus emanarint, justificatæ fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari posse, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

§. 10. Sicque, & non aliter in præmissis, omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Clericos Cameræ Apostolicæ Præsidentes, Cardinalem Camerarium, & quoscumque alios, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Nuncios, & alios quavis potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 11. Non obstantibus præmissis, necnon prædictis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; ac etiam Cancellariæ nostræ Regulis, etiam illa de non tollendo jure quæsito, ac etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, quibusvis sub quibuscumque tenoribus, ac formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, ac etiam illis, quæ iidem Prædecessores nostri voluerunt, ac Nos, etiam volumus in prædictis Constitutionibus non obstare, illorum omnium, & singulorum tenores, etiam ampliores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad prædictum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Et ut ad omnium notitiam præsentibus, & in eis contenta quæcumque deveniant, volumus, quod eadem per aliquem, seu aliquos ex Curforibus nostris in valvis Basilicarum S. Joannis Lateranen. & San-

Clausulas præservativas addit.

Clausula sublata.

Contrariis derogat.

Formæ publicationis.

& Sancti Petri, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, que sic affixæ, & publicatæ omnes & singulos afficiant, & æsent, perinde ac si unicuique eorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Novembris 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi 1637. Indictione quinta, Pontificatus autem Sanctissimi D. N. D. Urbani Divina Providentia Papa Octavi Anno ejus XV. die vero prima Decembris, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Valvis Basilicarum S. Joannis Lateranen. & S. Petri, atque in acie Campi Floræ per nos Josephum Masseum, & Antonium Bardum Apostolicos Cur.

Dominicus Vareseus Mag. Curf.

DLII.

Quod Moniales Conversæ Ordinis S. Clare Monasterii Sancti Marcelli Parisiensis debeant manentur in possessione eligendi Abbatisam.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Monialium infantia.

§. 1. Cum sicut dilectæ in Christo filie Moniales Conversæ Monasterii Monialium S. Clare Ordinis S. Francisce sitæ in Suburbio S. Marcelli Parisien. sub gubernio Fratrum Minorum ejusdem Ordinis existentium Nobis nuper exponi fecerunt, aliis dilectæ in Christo filia Magdalena Rebours d. Monasterii Abbatisa triennialis abque participatione Ministræ Provincialis, & cujusvis alterius dicti Monasterii Superioris prædictas Moniales Conversas voce activa, qua conjunctim cum Choristis dicti Monasterii a trecentis circiter annis gavisa fuerunt, ratione electionis Abbatisæ Monasterii hujusmodi private voluerit, & ad hunc effectum suffragia majoris partis dictarum Choristarum, mendicaverit, & una cum ipsis desuper quoddam capitulare Decretum ediderit, alia vero Choriste una cum præfatis omnibus Monialibus Conversis decreto hujusmodi uti invalido, & contra Constitutiones earum Regula expresse disponentes nihil omnino alterari posse absque expresso totius d. Monasterii consensu, sese formaliter apposuerint; Nobis propterea dictæ exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut infra providere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum de quo in Rubrica.

§. 2. Nos igitur easdem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Rom. Tom. VI. Par. II.

nalium negociis regularium præpositorum consilio, volumus, & apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, præfatas Moniales conversas Monasterii hujusmodi fore, & esse manutenendas in possessione, vel quasi eligendi Abbatisam una cum aliis Monialibus Choristis juxta præscriptam, & immemorabilem consuetudinem, in qua, ut præfertur, sese fuisse, & esse contendunt.

§. 3. Decernentes præsentibus literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ipsisque exponentibus in omnibus, & per omnia suffragari, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii, & Ordinis præfatorum, etiam si &c. consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Nov. 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

Clausula.

Dat. die 15. Nov. 1637. An. XV.

DLIII.

Consulit Juribus S. R. E. in Electione, & Confirmatione Imperatoris Romanorum.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. A Cceptis nuper a charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hungaria, & Bohemie Rege illustri binis literis quibus Nobis significabat se in Conventu Electorali Ratisbonæ habito in Regem Romanorum futurum Imperatorem electum esse, pia vero mem. Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem electum ejus genitorem brevi postmodum obiisse: Idcirco in duabus Cappellis Pontificiis in nostra, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium præsentia, Sacrosancto Missæ Sacrificio solemniter celebrato, in illarum prima respectu electionis gratiæ Deo Omnipotenti actæ, & in secunda pro ipsius Genitoris defuncti animæ refrigerio preces oblatae fuerunt. Præterea, sicut nonnullæ alie functiones præmissorum occasione fieri solita jussu etiam nostro factæ extiterunt; ita etiam, reliqua per Romanos Pontifices Prædecessores nostros peragi consueverunt, benediciente Domino peragere, prædictisque, & aliis ejusdem Ferdinandi electi literis ad Nos datis, & dandis respondimus, ac respectively respondere intendimus, etiam illum Regem Romanorum in Imperatorem electum appellando. Verum ne ex prædictis, & quibuscumque aliis actibus, & functionibus tam nostris, quam quorumcumque nostrorum, & Sedis Apostolicæ Officialium,

Declarat. tamen suam non fuisse per quos cumque actus ac titulos Ferdinandi II. in Regem Romanorum, ac fortasse etiam Imperatorem electionem confirmate.

Q

ac

ac Ministrorum, etiam speciali nota dignorum, etiam Nunciorum Apostolicorum, ac quorumcumque S. R. E. Cardinalium, etiam de latere legatorum tam publicis, quam privatis quodcumque, & ubicumque, ac quomodocumque factis, & faciendis, ac inde sequitis, & sequendis quibuscumque possit umquam pretendi, Nos electionem predictam approbasse, & confirmasse, etiam si talis pretensio minime subsistat, cum apostolica confirmatio hujusmodi tam de jure, quam de more, non nisi prius coram Nobis exhibitis electionis, & aliorum ad id requisitorum instrumentis, & previa matura cause cognitione in nostro Consistorio secreto, & sub Bulla Consistoriali concedi, & expediri consueverit; Nihilominus omnem in premissis ambigendi materiam precipere, mentemque, & intentionem nostram palam facere volentes, omniumque, & singulorum premissorum, ac quorumcumque aliorum actuum, & functionum hactenus, & deinceps quodcumque, ubicumque, & quomodocumque a Nobis, & aliis quibuscumque, cujuscumque qualitatis, dignitatis, etiam ecclesiasticae, status, gradus, & conditionis, etiam si individua expressione digna extiterint, & pro tempore existant, etiam de mandato nostro, & alias quovis modo, tam cum eodem Ferdinando electo, quam cum ejusdem Ferdinandi electi oratore, & oratoribus, ac ministris, etiam in Romana Curia factorum, & faciendorum, & inde sequutorum, & sequendorum, aliorumque hic forsan exprimendorum, & inferendorum, etiam particulari mentione dignorum, tenores, circumstantias, & quaslibet singularitates, etiam majores, & veriores presentibus pro plene expressis, & insertis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine presentium serie attestamus, declaramus, & decernimus, nostrae mentis, intentionis, & voluntatis incommutabilis semper fuisse, & esse, ac deinceps fore, per omnes, & singulos actus, functiones, receptiones, recognitiones, & tractatus quodcumque verbo, scriptis, etiam per literas apostolicas sub plumbo, ac in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, & missivas, ac facta a Nobis, & respective a dilecto filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato S. R. E. Vice-Cancellario nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, totiusque Status nostri Ecclesiastici, ac quorumcumque nostrorum, & Sedis Apostolicae negotiorum generali superintendente, & a quocumque alio S. R. E. Cardinali, etiam de latere legato, ac etiam a Nunciis Apostolicis, etiam apud eundem Ferdinandum electum nunc, & pro tempore nomine nostro, & Sedis Apostolicae residentibus, & a quibuscumque aliis nostris, & Sedis praedictae officialibus, & ministris ubicumque residentibus, etiam individua mentione dignis, etiam de mandato nostro, quodcumque, ubi-

cumque, & quomodocumque factas, & pro tempore faciendas, ac inde sequuta, & sequenda quaecumque, etiam pluribus vicibus iteratas, & iterata, ac effectum fortitas, & sortita, quoscumque, & qualiacumque sint, & pro tempore fuerint, etiam cum oratore, & oratoribus nunc, & impostorum, etiam apud Nos, Sanctamque Sedem praedictam nomine ejusdem Ferdinandi etiam uti Romanorum Imperatoris electi pro tempore residente, & residentibus, ac cum quibuscumque aliis ipsius Ferdinandi electi Officialibus, Ministris, Procuratoribus, & Plenipotentariis quavis occasione, & causa, etiam ratione foederis universalis, ac defensionis, & propagationis fidei catholicae, & quavis alia etiam particulari expressione digna hactenus, & pro tempore facta, tractata, & gesta, faciendaque, tractanda, & gerenda: Necnon per quascumque denominationes, inscriptiones, appellationes, nuncupationes, & narrativas in favorem praed. Ferdinandi in Regem Romanorum futurum Imperatorem electi per quoscumque, etiam nomine nostro, & Apostolicae Sedis, ac etiam per Nos quomodolibet factas, & pro tempore faciendas, illum etiam Regem Romanorum in Imperatorem electum appellando, ac etiam per quemcumque Oratoris, & Oratorum ad Nos, & Sedem Apostolicam ab eodem Ferdinando electo destinati, & destinatorum, missive, & mittendorum receptionem, & admissionem, ad audientiam nostram, & ad osculum pedum nostrorum cum quibuscumque apparibus, caeremoniis, circumstantiis, prerogativis, antelationibus etiam publicis, etiam extraordinariis, & insolitis quomodolibet expresse, vel tacite hactenus concessis, & datis, concedendis, & impostorum dandis, etiam tamquam Oratori, & Oratoribus Romani Imperatoris electi, non intellexisse, nec voluisse, minusque impostorum intelligere, nec velle praedictam ejus electionem approbare, nec confirmare, quinimmo nostrae mentis, & voluntatis fuisse, ac deinceps fore, ut iuxta, consuetum confirmatio apostolica hujusmodi per praedictum Ferdinandum electum petatur, & per Literas Apostolicas consistoriales a Nobis, & S. R. E. Cardinalibus subscriptas expediri impetratur, & interim necdum omnem approbationem, & confirmationem, sed etiam cujuscumque approbationis, & confirmationis expresse, & tacite concessionem, & quemcumque ejus effectum suspendimus, suspensamque, & suspensum fuisse, & esse, ac deinceps fore declaramus, ac pro suspensis haberi volumus, & decernimus.

§. 2. Praesentesque literas de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse quomodolibet habentes, & habere praetendentes, cujuscumque status, gradus, qualitatis, dignitatis, & conditionis existant, & extiterint

Hanc declarationem oportuit clausis firmat.

rint ad id vocati, citati, & auditi non fuerint notari, impugnari, infringi, seu redargui nullatenus posse, neque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, moderationibus, derogationibus, ac quibuscumque aliis contrariis dispositionibus generalibus, etiam motu, scientia, de liberatione, ac plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros faciendis comprehendendi; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & Nuncios quavis auctoritate, & potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & desiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, similiter decernimus.

Derogatur contrariis.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus quibuscumque tam Apostolicis, quam Imperialibus, ac Cancellariae Apostolicae regulis, etiam individuum derogationem requirentibus. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum inserta mentio habenda foret, tenores hujusmodi, etiam majores, & veriores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, ad effectum omnium, & singulorum praemissorum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. Dec. 1637. An. XV.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Decembris 1637. Pontificatus nostri Anno XV.

DLIV.

Ex Regis. in Secret. Brev.

Confirmatio Decretorum Sac. Congregationis Concilii super bono regimine Cancellariae Archiepiscopatus Turritan.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Dubia ab Archiep. Turritano proposita Congreg. Concilii.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit Ven. Frater Archiepiscopus Turritan. quod aliis pro ejus parte Ven. Fratibus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus exposito, Archiepiscopi Turritan. ipsius moderni Archiepiscopi praedecessorem Cancellariam mensa Archiepiscopalis Turritan. donasse cuidam familiari cum omnibus emolumentis, salariis, & stipendiis, & praterea ab eisdem Ven. Fratibus pro parte ejusdem Archiepiscopi quae sit, utrum donatarius ipse, relicto titulo Secretarii, vel Notarii, aut Cancellarii, seu Magistri actorum, possit

Bull. Reg. Tom. VI. Par. 16.

assumere sibi nomen, & titulum Domini utilis praedictae Cancellariae, secundo utrum praedictus Donatarius teneatur stare taxationi salariorum, & stipendiorum facta a dictis Ven. Fratibus nostris, dicit enim, se non teneri ad servandam ullam Taxam, quia non fuit auditus, neque citatus ad videndum taxari salaria suae Cancellariae, unde pro collatione, seu possessione unius beneficii accipit a proviso, quantum ipsemet aestimat valorem beneficii. Tertio quia in donatione Cancellariae praedictae, auctoritate apostolica confirmata, electa fuit donatarii industria, & experientia multorum annorum, quibus eam administrabat, utrum possit eam locare, aut exercere per substitutum, qui se subscribat in actis: talis pro tali Domino utili Cancellaria Turritan. Et utrum liceat ei assumere scribas ad libitum suum, etiam ignaros absque approbatione dicti Archiepiscopi eique non beneficos.

S. Congreg. resolutio.

§. 2. Cardinales praedicti ad primum responderunt: Cancellarium praedictum non posse nomen utilis Domini Cancellariae Archiepiscopalis sibi assumere. Ad secundum vero, non posse dictum Cancellarium pro expeditione literarum collationis, vel institutionis quorumcumque beneficiorum, vel pro deputatione Vicariorum in illis accipere, nisi mercedem labori suo convenientem, quae tamen cum scripturis, sigillo, & ceteris computatis, unum aureum non excedat, atque eundem Cancellarium ad ita observandum ab Archiepiscopo compelli posse. Ad tertium denique hujusmodi Cancellarium non posse Cancellariam locare alteri, qui se subscribat N. pro tali Domino utili Cancellaria, nec in ipsa Cancellaria Notarios imperitos, aut alias sine approbatione Archiepiscopi assumere.

Archiep. praedictam resolutionem petiit confirmari.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat, dictus Archiepiscopus praemissa, quo firmiter subsistat, & inviolabiliter observentur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri desideret.

Confirmat Pontifex.

§. 4. Nos ejus votis hujusmodi benigne annuere, illumque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Archiepiscopi nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praemissa hujusmodi apostolica auctoritate, tenore presentium, confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui in eisdem praemissis quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausula.

§. 5. Decernentes illa, necnon praesentes literas valida, firma, & efficacia esse,